materiale nempe immutatione corporali, sibi coniunctum; unde in appetitu sensitivo sunt:) sed quod et proprius accedat mortificatio passionum ad mortificationem potentiarum spiritualium et quod nomine mortificationis externæ plerumque tantum veniat mortificatio quinque sensuum. Dicitur à Basilio à S. Thoma angelico motus sensibilis potentiæ appetitivæ per imaginationem boni vel mali. patet ergo quod passio ubi protoe indistincta à motu juxta sanam Philosophiam semper sit coniuncta cum aliqua immutatione corporea: quocirca Aristoteles in problem: Sect: 27. id. 6 docet, formidolosos voce, manibus, et labro inferiore tremere. S: Thomas docet audaces membris exterioribus frigescere, et tremere propter revocationem caloris ad cor. Eiusmodi passiones in appetitu concupiscibili sunt sex, scil: amor, odium; desiderium; fuga; delectatio, et tristitia: in appetitu irascibili sunt quinque, scilicet spes, desperatio, audacia, timor; et ira.

Porro non persuadeat sibi Religiosus, fieri posse, ut quæ in hac vita valeat extirpare seu eradicare passiones, ut scilicet nullos unquam motus earundem experiatur; id quod docet S: Gregorius Nyssenus: fieri non potest ut in vita materiali materiæ penitus et affectuum expers vita transigatur. Homilia de Beatitudinibus. 117.
quid, quod ipse Christus affectus tristitiæ iræque in hac vita habuerit, sed sic, ut iis perfectissime imperaret rationis dominio quo exurgerent, actusque elicerent suos, quando, et quamdiu, et ubi ipse volebat. imò usus rectus passionum v.g: iræ, amoris, spei &c. subinde et necessarius, et meritorius est, de quo propheta exhortatur: irascimini et nolite peccare: tunc nempe passiones prosunt, quando exercitium earum in debita mensura continetur, frenoque rationis regulatur, secus nocent hominemque

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG

© Universitätsbibliothek Heidelberg
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/salVIII60/0165

gefördert durch
Baden-Württemberg